

## SILVERII PAPÆ EPISTOLÆ.

## I EPISTOLA PRIMA SILVERII PAPÆ.

AD VIGILIUM PSEUDOPAPAM.

*Vigilio ambitionem sedis apostolicæ et simoniæ crimen admissum exprobrat, eumque sententia anathematis condemnat.*

Silverius episcopus Vigilio.

(a) Multis te transgressionibus irretitum sacerdotalis jamdudum novit generalitas: et quia, cruentis humano sanguine manibus decessoribus nostris pervicaria tua subripiens, leviticis præsumperis excubare ministeriis<sup>a</sup>, plerique noverunt fidelium. Nam quia contra jura canonica temporibus sanctæ memoriæ Bonifacii papæ, ipso vivente, successor ejus designari conabar, nisi tibi amplissimi senatus obviasset justitia, tunc providentia pastoralis ac pontificali auctoritate [tua a pontificali honore] tua execranda jam debuerant auspicia detruncari. Sed dum parvum vulnus in te [ante] neglectum est, insanabile accrevit apostema: quod nisi ferro alterius abscindatur, fomentum sentire non potest [potes] medicinam: quippe qui nequissimi spiritus audacia ambitionis phrenesim concipiens, in illius apostolici medici, cui animas ligandi solvendique collata et concessa potestas est, versaris contumeliam, novumque scelus erroris in apostolicam sedem rursus niteris inducere, et in morem Simonis, cujus discipulum te ostendis operibus, data pecunia, meque repulso, qui, favente Domino, tribus jam jugiter emensis temporibus ei præsideo, tempora mea vitaris [niteris] invadere. Habeto<sup>b</sup> ergo cum his qui tibi consentiunt pœnæ damnationis [perpetuæ] sententiam, sublatumque tibi nomen et munus ministerii sacerdotalis agnosce, sancti Spiritus judicio et apostolica a nobis auctoritate damnatus. Sic enim decet fidem sanctorum Patrum in Ecclesia servari catholica, ut quod habuit amittat, qui improbabili temeritate quod non accepit assumpserit.

Data octavo calendas Julii, principe Basilio<sup>c</sup>. Cælius Silverius papa urbis Romæ, huic decreto anathematis in Vigilio pervasore [Vigilium pervasorem] factæ ad omnia statuta consensum præbens, subscripsi, pariter quatuor episcopi subscripserunt, id

<sup>a</sup> Surrepsisse videtur adjecta nota consularis, quia tempore Silverii neque Belisarius, neque Basilus ullum consulatum egerunt, inquit ad oram Binus: verum mihi potius hæc arguere videntur impostoris audacem incertiam qui Basillum anno 544 consulem celeberrimum duobus minimam annis præverterit. At de hujus Mercatoris aberrationibus chronologicis jam sæpius conquesti sumus. PHIL. LABBE.

<sup>b</sup> Hæc epistola nomine Silverii ad Amatorem episcopum Augustodunensem, fortasse qui his temporibus sanctitate celeberrimus existit, rescripta, ab aliquo otioso ex Anastasii scriptis consarcinata videtur. Nota consulum mendaci insignita a veritate historica valde abhorret, ut constat ex Liberato diacono hujus temporis scriptore fidelis imo. Indignam itaque judicantes, quæ sub ipsius Silverii nomine edatur, loco insolito, et inconsueta hæc inscriptionis nota, eam hic exhibere placuit. SEV. BINUS.

A est Terracinensis, Fundanus, Firmanus, et Minturnensis. Data ista chartula per Anastasium subdiaconum.

## EPISTOLA AMATORIS,

EPISCOPI AUGUSTODUNENSIS, AD SILVERIUM PAPAM<sup>a</sup>.

*Ad levandam inopiam exsilii mittit pontifici munuscula, petens de statu exsulis certior fieri.*

Beatissimo Silverio Amator episcopus.

A quibusdam, pater dilectissime, illis a partibus adventantibus audivimus vos a sede sancti Petri injuste pulsum, exsilio destinatum. Quod nimis grave ferentes, misimus parva munuscula, id est argenti libras triginta ad vestram vestrorumque sustentationem: quæ petimus, ut ita grato animo suscipiatis, sicut grata mittuntur intentione. Precamur quoque ut per vestram epistolam nobis remandare non dedignemini qualiter circa vos sit actum, vel modo agitur, ut certam rationem de vobis scire et fratribus valeam nuocere. Quid enim putas de nobis fieri, pater summe, cum de summo pastore et vicario sancti Petri talia sunt? Vos tamen nolite multum tritari, sed confortamini semper in Domino: quoniam potens est divinitas<sup>b</sup> immedicabilis tempestatis incerta bono serenitatis amovere. Ora pro nobis, beatissime papa.

EPISTOLA II SILVERII PAPÆ<sup>c</sup>NOMINE CONFICTA AD AMATOREM<sup>d</sup>.

*Amatoris charitatem laudat: quæ contra se acta sunt exponit. De falsis testibus contra episcopum non suscipiendis.*

Dilectissimo atque amantissimo Amatori episcopo Silverius

O quam bona est charitas, quæ absentia per imaginem<sup>e</sup>, præsentia sibi ipsi exhibet per amorem. Divisa tangit [jungit], confusa ordinat, inæqualia sociat, imperfecta perficit. Quam recte prædicator egregius vinculum perfectionis vocat (Coloss. iii); quia virtutes quidem cæteræ perfectionem generant, sed tamen eas charitas ligat, ut ab amantis mente dissolvi jam nequeant. Hæc itaque virtute, frater charissime, plenum te reperio, dum non solum de

D Eandem quoque par erat inscriptionibus plurimis censuram ascribere, ut pretiosæ merces a vilibus ὑποβολιμαίων mercatoris centunculis separarentur. PHIL. LABBE.

<sup>1</sup> Suspectæ fidei epistolam cum alia probant, tum styli barbaries.

<sup>2</sup> Damnatio Vigilij inscribitur in c. Justelli. Vide notas concilii Romani II, sub Bonif. II.

<sup>3</sup> Felix III, ep. 6 ad Acacium CP. ep.

<sup>4</sup> Idem Felix III cit.

<sup>5</sup> Hæc quoque suspectæ fidei consent viri docti, nec immerito, cum iisdem atque sequens vitii labore.

<sup>6</sup> Ennodius ep. 24 lib. IV.

<sup>7</sup> Bar. Binio, aliisque execrata.

<sup>8</sup> Greg. ep. 50, lib. IV.

(a) De hujus et sequentis epistolæ suppositione vide Pagium ad An. Ch. 539, n. 3 et 4.

me sciscitando et visitando curam habes, sed etiam A bonis tuis me fulcire et sustentare non desinis. Quanta autem mala in me peracta sunt, nec enarrare, nec scribere tibi per omnia possum. Ante omnia vero patricia infesta mihi erat <sup>1</sup>, eo quod non restituebam Anthimum dudum patriarcham Constantinopolitanum, quem sanctæ memoriæ Agapetus prædecessor meus suis meritis damnavit. Urgente quoque ejus jussione, exierunt quidam falsi testes, dicentes adversum me crimina, quorum nunquam particeps fui. Sed dum multi in eadem accusatione persistenter, timuit Belisarius patricius noster <sup>2</sup>, et mandavit me ad se venire pacifice pro quibusdam ecclesiasticis dispositionibus in palatium Pincis <sup>3</sup>, et ad primum et secundum velum retinuit omnem B clerum et populum qui mecum veniebat, et nullum permisit introire nisi me solum, et Vigilium diaconem meum. Me vero vi retento et ante prædictam patriciam deducto, miserunt in exilium, in quo modo sustentor pane tribulationis, et aqua angustiarum. Ego tamen propterea non dimisi, nec dimitto officium meum: sed cum episcopis, quos congregare potui, eos qui talia erga me egerunt, anathematizavi <sup>4</sup>, et una cum illis apostolica et synodali auctoritate statui, nullum unquam taliter decipiendum, sicut deceptus sum; et si aliquis deinceps ullum unquam episcoporum ita deciperet, anathema maranatha fieret in conspectu Dei et sanctorum angelorum. Similiter sanctorum Patrum roborantes decreta statuimus (licet sæpissime jam statutum fuerit) nec C falsos, nec inimicos suspectos accusatores vel testes unquam super episcopos suscipi, eisque nocere nul-

latus posse: quia falsam aut suspectam, aut odiosam vocem, aut funestam, potius interdici quam audiri sanctis Patribus placuit. Summopere, charissime, tales cavendi sunt <sup>5</sup>, et avertendi atque rejiciendi, si nocentes apparuerint: quia non solum ecclesiasticæ, sed etiam sæculi leges tales non suscipiunt, sed repellunt. Unde scriptum est: *Os impicrum devorat iniquitatem* (Prov. xix). Et Dominus per prophetam loquitur, dicens: *Cum sancto sanctus eris, et cum viro innocente innocenter agēs. Cum electo electus eris, et cum perverso perverteris* (Psal. xvii). Et Apostolus inquit: *Pervertunt mores bonos colloquia mala* (I Cor. xv). Idcirco, ut jam prælibatum est, mali semper cavendi, et bonis atque benevolis est inhærendum, ut periculum desidie, quantum possumus, <sup>6</sup> devitemus, et ne pestis hæc latius divulgetur, severitate qua possumus abscondamus: quoniam non temeritas intervenit presumptionis, ubi est diligentia pietatis. Agat semper unusquisque vestrum hac informatione <sup>7</sup>, apostolica fultus auctoritate, juxta vires suas, et fraterna dilectione, ac sancta religione mores proprios conservare, et in communi alterutrum adjuvare, et in charitate permanere, et Dei voluntati indesinenter studeat inhæ- rere, ut simul laudantes Dominum, indefessas illi gratias semper agamus. Vale in Christo, charissime semper, et prædicta prout melius poteris, Domino opem ferente, adimplere, et reliquos fratres apostolica auctoritate informare studeto. Data ix kalendas Decembris, Justiniano quintum <sup>8</sup>, et Belisario [Vulsiario] viris clarissimis consulibus.

<sup>1</sup> Jussu Augustæ Theodoræ.

<sup>2</sup> Anastasius aut quis alius auctor pontificalis.

<sup>3</sup> Alias *principis*, ut in c. Just.

<sup>4</sup> Sent. illa in Vigil. lata merito suspecta, ut paulo ante observavimus.

<sup>5</sup> Hæc jam sæpe sæpius ab Isidoro in fictis epistolis decantata.

<sup>6</sup> S. Leo ep. 2, 4, 92.

<sup>7</sup> S. Bonifac. Mog. archiep. 17.

<sup>8</sup> Consulium nota falsa.

ANNO DOMINI DXL.

# S. LAURENTIUS NOVARIENSIS EPISCOPUS.

Notitia Margarini de la Bigne.

Hunc esse suspicor Laurentium priorem, qui ex D Novariensi factus sit Mediolanensis archiepiscopus vigesimus quintus, ad annum Christi 507, cujus encomia videatur celebrare Ennodius (a). In Dictione missa Honorato episcopo Novariensi in dedicatione basilicæ Apostolorum. Qui etiam Honoratus administrato Novariensi episcopatu annis triginta octo (qui-

(a) *Veni, inquit, piissime Domine, etc., evocatus sanctorum sacerdotum merito, electi seorsim præsentis patris nostri Laurentii conscientia, qui tot plenus dotibus a Ecclesiæ fastigium crevit, quot scissent plurimum singula quæque pontificem in quo vernal boni*

bus in Mediolanensi throno sederunt post Laurentium priorem, S. Eustorgius ann. 7, S. Magnus, ann. 3, S. Datus ann. 22, S. Vitalis ann. 4, S. Auxanus ann. 2), ad archiepiscopatum Mediolanensem evector sit, non ita multo ante Longobardorum in Italiam adventum.

*operis princeps et honestatis mater verecundia, religionis sanctæ nutritrix patientia, Deum semper placatura pietas, et quæ Ecclesiasticis membris non sermone vitæ instituta tribuet sed exemplis, etc.*